



Ta quidem dierum & noctium magnitudine & differentijs expositis, oportuno ordine sequitur expositio ascensionum obliquarum, quibus inquam temporibus dodecatemoria, hoc est zodiaci duodenae partes uel quaelibet aliae ipsius circumferentiae attolluntur: cum non sint aliae ascensionum rectae & obliquae differentiae, quam diei aequinoctialis & diuersi, quales exposuimus. Porro dodecatemoria mutuatis animantium, quae stellarum sunt immobilium nominibus, ab aequinoctio uerno initium capientes, Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum, & reliqua ut ex ordine sequuntur adpellarunt. Repetito igitur maioris euidentiae causa meridiano orbe $ABCD$, cum semicirculo ABC aequinoctiali, & horizonte BED , qui se secant in E signo. Assumatur autem in H aequinoctium, per quod signifer FHI circulus, secet finientem in L , per quam sectionem a polo K aequinoctialis descendat quadrans magni circuli KLM . Ita sane apparet, quod cum circumferentia zodiaci HL , attollitur in HE aequinoctialis, sed in sphaera recta ascendebat cum HEM , harum differentia est ipsa EM , quam antea demonstrauimus esse dimidiam diei aequinoctialis & diuersi differentiam: sed quae illic adhibebatur in declinatione Borea, hic aufertur, ac uicissim additur in Austrina, ascensioni rectae, ut obliqua prodeat, & proinde quantisper totum signum aliaue signiferi circumferentia emergat, fiet manifestum per numeratas ascensiones a principio usque ad finem. Ex his sequitur, quod cum datus fuerit gradus aliquis signiferi, qui oritur ab aequinoctio sumptus, dat etiam is qui caelum mediat. Quoniam cum datum fuerit L punctum, eius quod est per medium signorum orientis, & declinatio penes HL , distantiam ab aequinoctio, & HEM ascensio recta, ac tota $AHEM$ semidiurna circumferentia. Reliquum igitur AH dat, quod est ascensio recta ipsius FH , quae etiam datur per tabulam, siue quod angulus sectionis AHF datur cum latere AH , & qui sub FAH rectus. Itaque tota signiferi FHL circumferentia inter orientem caelumque mediantem gradum datur. Viceversa, si qui caelum mediat prius fuerit datus, ut puta FH circumferentia: sciemus etiam eum qui

k iij oritur

